



CAPUT V.

De Tentationibus.

Fili accedens ad servitutem DEI
sta in justitia & timore, &
prepara animam tuam ad tentatio-
nem. Eccl. 2. Voluit Spiritus
S. his verbis significare, servum
DEI nunquam in hac vitâ
tutum fore à tentationibus.
Quod etiam declarat S. Hiero-
nymus exponens illud, Eccl. 3.
tempus belli & tempus pacis,
dum ait: *quamdiu in presenti
seculo sumus, tempus est belli,
cum autem migraverimus de hoc
seculo, pacis tempus adveniet: in
pace enim factus est locus DEI,* &

Ci-

*Civitas nostra Jerusalem de pace sortita vocabulum est: nemo ergo se nunc putet securum in tempore belli, ubi certandum est. Nec refert, quod hostes nostri aliquando oppugnare nos desinant, id enim faciunt, ut nos incautos & falsâ securitate delusos fortiùs aggrediantur, & imparatos expugnent. Describitur autem Tentatio, quod sit impugnatio quædam, quâ quis ad malum patrandum allicitur, & duplex est, *Externa* una, quæ consistit solùm in Externa propositione rei vetitæ per consilium, imperium, vel quamcunq̃ factam exterius repræsentationem, & talis fuit illa tentatio Christi in deserto, *Matth. 4.**

Al-

Altera est *Interna*, quâ Phantasia nostra turbatur, & per Species rei prohibitiæ objectas percellitur, & pravis imaginationibus ludificatur, motusq; sensualitatis concitantur & talem tentationem Christus sentire non potuit, nos autem quotidie ferè sentimus & experimur, oriturque à causa vel externa, qualis est diabolus, qui propterea *adversarius* noster & *Sathanas sive Tentator* appellatur, & *Mundus* sive mali homines in Mundo, divitiæ, honores, illecebræ, & quidquid nos ad malum sollicitare & à bono avertere solet. Vel oritur à causa interna, puta à concupiscentia nostra & appetitu sensitivo; *unusquisque enim tentatur à concupi-*

*cupiscentia sua abstractus & ille-
ctus. Jacob. 1.* Vel a pravis nostris
habitibus, & peccandi con-
suetudine, quæ ad nova pec-
cata nos eò fortius trahit & in-
clinat, quò magis fuerit radi-
cata.

Media tentationes superandi
numerantur ab Asceticis Aucto-
ribus sequentia: Primum est
generositas animi & alacritas in
ipsa tentatione, juxta illud *Ja-
cob. 4. resistite diabolo, & fugiet
à vobis.* Habet siquidem se dæ-
mon in tentando quasi mulier
in rixando cum viro suo, quem
si advertat timidum & fugacem,
magis animatur, & ferociter vi-
rum invadit: si verò illum con-
stanti

stanti & erecto vultu resistere
conspiciat , illicò animum abji-
cit , & terga vertit. Ita prorsus
dæmon ex nostra timiditate eva-
dit animosior , & fortiùs instat ;
ex alacritate verò animi & gene-
rositate terretur & fugit. Suasit
hoc medium suis Discipulis B.
Antonius pugil in hac arenâ stre-
nuus , & multis trophæis à dæ-
mone relatis clarus , asseverans ,
inter reliqua arma contra sty-
gium hostem imprimis eminere,
quod quis in ipsa tentatione ge-
nerosum se , alacrem , & hila-
rem ostendat. Porrò excitat
hanc in nobis animi alacritatem
imprimis consideratio imbecil-
litas Adversarij nostri, utpotè
qui non vincit nisi volentem,

C

sicut

sicut testatur S. Hieronymus
 sup. Cap. 4. *Matth.* cum ait: *per-*
suadere potest, precipitare non
potest, si ipsi nolimus. Et S. Au-
 gustinus *Serm.* 197. de temp. *Ve-*
rum est, fratres, multum prava-
let, sed tepidis & negligentibus,
& DEUM in veritate non timen-
tibus, alligatus est enim tanquam
innexus canis catenis, & nemi-
nem potest mordere, nisi eum qui
se illi mortiferâ securitate conjun-
xerit, latrare potest, sollicitare
potest, mordere omnino non potest,
nisi volentem.

Alterum medium superandi
 tentationes est diffidentia sui
 ipsius, & confidentia in solo
 DEO: vult enim DEUS, ut
 fem-

semper omnem gloriam, honorem & victoriam ipsi soli adscribamus, unde si homo in sua fortitudine & proprijs viribus confidat, merito sibi & infirmitati suæ relinquitur, ne, quod soli DEO debetur, sibi præsumptuosè arroget. Atque hinc est, quod DEUS SS. in Literis auxilium & assistentiam suam promittat solum in ipso confidentibus. Ut patet. *Psal. 90. Quoniam in me speravit, liberabo eum. Psal. 16. Qui salvos facis sperantes in te. Psalm. 17. Protector est omnium sperantium in se &c.*

Tertium Medium oritur ex secundo, & est Oratio sive petitio gratiæ & auxiliij Divini : postquam enim homo suis viri-

bus diffidit, ad DEUM tanquam auxiliatorem suum per Orationem confugere discit, fuitque hoc ordinarium Regio Psalti, ut passim invenire est in ejus Psalmis, & à Christo præscriptum Apostolis *Matth. 26.* illis verbis: *vigilate & orate, ut non intretis in tentationem, & Matth. 6. & ne nos inducas in tentationem.*

Quartum, Medium & imprimis efficax est, obstare statim ipsis tentationum principijs, antequam invalescant, & vires acquirant, juxta illud S. Hieronymi: *dum parvus est hostis, interfice, nequitia elidatur in semine,* Facilius quippe est scintillam
 extin-

extinguere quàm incendium,
 & hostis cum minore periculo
 rejicitur, dum adhuc extra por-
 tam Civitatis subsistit, quàm
 cum per omnes illius plateas se
 jam diffudit. Habent se tenta-
 tiones ab initio instar morbo-
 rum, qui Corpus humanum
 tentare incipiunt, de quibus
 Poëta : *Principijs obsta, serò me-
 dicina paratur, cum mala per lon-
 gas invaluère moras.*

CAPUT VI.

De Modestia.

Modestia vestra nota sit om-
 nibus hominibus. *Philip. 4.*
 Consistit hæc Virtus in mode-